





4/191
Dissertationum Politicarum

1661
3
Posterior

DE SENATU CIVITATIS,

& in specie
de

JUDICE,

ac
SYNDICO,

Quam,

in ALMA LEUCOREA,
MODERANTE NUMINE,

Præsidente,

Præ-Clarissimo

VIRO

DN. M. SIMONE FRIDERI-
CO FRENZELIO,

Cotbusiensi-Lusato, Favitore ac Amico

suo colendissimo:

Publicæ τῆς πολιτικῶν διαλέξει discutiendam

exhibet

JOHANNES SIGISM. GERLACHIUS,

Dresdā Misnicus,

Autor & Respondens.

Ad d. 25. Septembr. 1661.

horis matutinis, in Auditorio Philosoph.

WITTEBERGÆ,

EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN.

M DC LXI.



VIRIS

*Reverendo Maximè, Magnifico, Amplissimo, Consultissimo,
Excellentissimis*

DN. CHRISTOPHORO BULÆO,

*S.S. Theol. Doct. famigeratissimo, supremi Synedrii Ecclesiastici
Electoralis, quod Dresdæ est, Adessori meritissimo, Ecclesiæ
Dresdensis ad D. Crucis Pastori fidelissimo, vicina-
rumq; Superintendenti vigilantissimo.*

DN. JOHANNI CASP. BERRINGERO

*I. U. D. longè celeberrimo, Causarumq; Patrono
felicissimo.*

Us &

VIRO

*Amplissimo, Consultissimo multoq; rerum usu maximè
conspicuo*

DN. GREGORIO SCHRAMMIO,

*Sereniss, ac Potentiss, Elect, Saxon. Secretario dignissimo
longèq; meritissimo.*

*DNN. Mecænatibus, Patronis, Studiorumq; suorum Promotoribus
magnis, omni observantiâ prosequendis.*

*Hoc debiti ac perpetui cultûs mnemosynon in Templo Memoria ad
gratitudinis aram L. M, Q. statuit ac erigit*

Johannes Sigism. Gerlachius,

*Dresdâ Misnicus
sacris addictus studiis.*

FELICITER ! FELICITER !

CAPUT I.

De Judicis necessitate & appellatione.

§. I.

Cum administratio Reip. non minus in Senatu & Magistratu, quam in Judiciis consistat, pronunciante ipso Philosopho, (a) hæc æquè pari constituenda necessitate sunt. Ut n. civitas Senatu carere minimè potest, sic nec iudice, cum in aprico sit, iudicante iterum Philosopho, quod necessarius aliquis sit, qui jus dicat atque decernat. Si quidem ergò animam quis ponat animalis esse partem magis quam corpus, ac civitatum magis talia ponendum esse partes, quam ea, quæ pertinent ad necessarium usum, propulsatores belli videlicet, ac iustitiæ iudiciariæ exhibitores, ac præterea Consultores, quod est civilis prudentiæ opus. Neq; humanis tantùm, sed divinis æquè auspiciis constituuntur iudices, (b) gravissima n. iustissimi Numinis vox est: *Judices & Magistros constitues in omnibus portis tuis, qui iudicent populum iudicio iusto, nec in alteram declinent partem.* Præceptum n. quàm maximè ad vitia homo turpissima est, & vitiosam voluntatem cum facultate conjunctam habet, cursus nihilominus effrenis malitiæ cancellis qs. in civili societate positus, metu poenarum, præmiorumq; spe, inhibere de facili potest. Eâ gratiâ legum reperta reverentia est, & ipse adeò DEUS populo Hebræorum per Moysen tradidit leges, quibus nullæ sive antiquitate, sive sanctimoniâ potiores inveniuntur. Post has maximè fama celebravit Cretensium, quas Minos, Spartanorum, quas Lycurgus: Ac mox Atheniensibus quæsitiores jam & plures Solon præscripsit, ut fatur Tacitus (c). Neque Romani sine legibus vivere: sed exactis Regibus, missisque in Græciam Legatis, leges in X. tabulis eboreis per scriptas pro Rostris composuerunt: idem mos ad nostra excrevit secula, ut salutare in Civitatibus sancirentur leges, earumq; custodes iudices constituerentur.

§. 2. Enimvero, ut summa Majestas omnia ex æquo possidet jura, ita quæ superiora, quæ inferiora iudicia, pari potestate

(a) lib. 4.
Polit. c. 14.

(b) Deur.
17. v. 18. 19.

(c) lib. 3.
Annal. 26.
N. 4.



(d) lib. 1. state exercet. Nū ipsemet adeò Rex vel Princeps justitiam coram
 (e) exercere, cūctisq; decidēdis litibus præstò esse, an aliis has par-
 2. de off. tes subinde committere debeat, à Politicis disceptatū hactenus
 (f) 1. Sam. fuit. Nec immeritò: justitiæ n. fruendæ causâ olim factos ef-
 8. fe Reges, testatur *Herod.* (d) & *Cic.* (e) quo & Judæi inclinare
 (g) 3. Reg. videntur, petentes Regem, qui ipsis more aliarum gentium jus
 5. dicat (f); Et Salomon eâ gratiâ à Deo prudentiam sibi petiisse,
 (h) *Psal.* 71 (g), exemplo Davidis (h) legitur. Proprium itaq; Regum e-
 (i) *Cap.* rit, facere judicium justitiæq; secundum *Hieron.* (i), & ad id
Reg. 23. qv. Reges natos esse, graviter judicat *Hesiodus.* Exempli loco ad-
 5. ducendus Augustus est, qui non semel in noctem protraxit judi-
 (k) *Dion.* cia, (k) & quem, cum sibi non vacaret dicere jus, mulier incre-
in August. puit: noli igitur imperare. Idem Adriano obtigit. (l) Severus
 (l) *Herod.* in civilibus negotiis non minus, quam pueris erudiendis dili-
in Sever. gens fuit. Theophilus Imperator ipse forum circumivit, justia-
 (m) ne essent pondera, sciscitans. (m) Philippus v. Herodis Antipæ
Zonar, & Frater ubiq; post se jussit portari sellam, ex quâ quamcunq; con-
Cedr. in troversiam sibi oblatâ dijudicaret, (n); & Muscovita hodiè solus
Theoph. ferè exercet judicia capitalia (o):
 (n) §. 3. At non necessitatis absolutæ est, ut omnibus inter-
Joseph. sit judicijs Princeps, actūsque civiles præsentia suâ modere-
lib. 18. c. 6. tur. Quos præficit his partibus, & ad judicia exercen-
 (o) *Sigism.* da ordinat, hi potestate agunt communicatâ, vicesq; Principis
Baro in sistunt plenariè. Non consultum itaq; putes, ut frequenter adeò
Musc. & omnium oculis exponatur Majestas, cum auctoritas ejus de-
 (p) *Bodin.* facili hâc ratione labefactari non tantum queat, sed & errata,
lib. 4. c. 6. si quæ in Principe levissima sint, pro flagitiis habeantur, im-
 (q) *Athen.* mò ad imitationem non rarò rapiantur, vid. *Bodin.* (p), quâ de
lib. 4. *Dip* re Persarum Reges, (q) Abyssinorum (r) & Bornæi (s) subditis se
nos. non temerè conspiciendos præbuerunt. Graviora v. si incidunt
 (r) *Alva-* momēta, sibi decidēda reservare potest Princeps exēplo Mosis
res in E- Hebr. Ducis, (r) qui graviores lites diremit ipse, privatas v. levi-
nar. Regis oresq; aliis cōmisit dirimendas. Maximè v. illâ justitiæ partē, quæ
Abyss. plena gratiæ est, per se exercere Princeps debet, alterâ satius est
 (s) *Leo A-* Prætoribus Judicibusq; cōmittere, secundū Xenophontis præce-
fer in Hist. ptum (u) ita tamen, ut provocationis jus retineat sibi, ne negle-
Afric. 18. vers. 13. (u) In *Hieron.* etæ ac-
 (t) *Exod.*

et accusari justitiæ possit, ac ut metu judicia Magistratuum intra justitiæ terminos contineat. Memoria hic subit consilii callidi Regis illius regionis, quam Thuris feracem vocant, cujus imitatur vestigia Turca: Is n. referente Athen. (w) Judices quidem litibus dijudicandis dabat, sed si quis minus decidisse justè putabatur, fenestra erat in altissimo loco, quæ ferream catenam ligabatur, quam, qui injustè judicatum putabat, apprehendebat, fenestramque trahebat. Quare admonitus REX causam inquirebat, & si viderentur, Judices minus judicasse justè, moriebantur; si minus, alter, qui fenestram moverat. Tantum valet in judiciis occulta etiam Principis præsentia.

(w) Athen. lib. 12. c. 4.

§. 4. Per constitutos itaque Judices summa agit Majestas, quippe qui & nomen acceperunt, à jure & dicendo: Latinis n. *judex* dicitur quasi *jus dex*, eo quod *jus* dicat. Græcis *δικαστής*, à verbo *δικάζω*, *jus dico*, quod à *δικη*, *jus*, *justitia* aut *judiciū* derivatur, quæ derivationis ratio ipsi placet Philosopho, inq̄uienti: *Ἐπὶ τῷ δικαστῆν ἰέναι, ἰέναι ἐστὶν ἐπὶ τῷ δικαίῳ. ὁ γὰρ δικαστὴς βέλεια εἶναι οἷον δικαίον ἐμψυχον, i. e. ad judicem ire, est ire ad jus ipsum: quippe cū judex nihil aliud sit, quàm jus quoddam animatum.* Aliis & *ὁ κερτής* *judex* dicitur, qui *Demosth. & Thuc.* arbiter, æstimator audit. Hebræis *שופט*, unde Germanicum illud vocabulum deductum volunt *Schuff* / *cujus*, si natalia spectes, splendorem nobilitatis non minuit adeo, ac auget plurimum, quæ major n. potest esse gloria, quæ præesse judiciis, per quæ conservatur hominum societas? l. *judices C. de dignit. l. 12.* ac equites apud Romanos *judicum seminaria* fuerunt, *judicesque equites dicti V. Petrus Gregor. Tholos. in Synt. jur. l. 47. c. 23. 24.* hæc deducens fufius. Gallicis *Juge*. Germanis *ein Richter*.

(x) Eth. l. 5. c. 7.

(y) contag. jur. l. 47. c. 23. & 24.

§. 5. Cum v. Judicis vox diversas facultatum sedes pervagetur, nobis evolvenda prius vocis ambiguitas, ne ambiguo pergamus tramite. *Judex omnium justissimus DEUS* in sacris litteris audit: *Justus est judex DEUS & Dominus justitias diligit*, inquit Psaltes. (z); Et iterum [aa]: *DEUS adstat in congregatione DEI, in medio Deos judicat.* Immò universi adeo mundi salutatur *Judex* (bb). Tropicè etiā Judicis vox denotat judiciariam normam. Quæ acceptio solennis Theologis est, gnaviter inquir-

(z) Psal. 7. 12. & 11. 8.

(aa) Psal. 82.

(bb) Gen. 18. v. 25.

(cc) in
Exeg. p.
495.
(dd)
Meisn.
Phil. So-
bria part.
3. sect. 2. c.
5. quest. 3.

(ee) Web-
ner. Obser.
Pr.
verb. Lan-
des Für-
stliche D-
brigkeit.

rentibus, an Scriptura S. sit iudex controversiarum fidei? Ad quam quæstionem Gerhardus graviter ita: (cc) DEUS iudicat πρῶτος, ἐξοχικῶς & ἀποθετικῶς: Scriptura κανονικῶς, Ecclesia Νεκρονικῶς. Vid. Phil. Sobr. B. Meisn. (dd). In Politicum v. nobis forum immixtis, tam diversa iudicis vocis sese offert latitudo, quanta iudiciorum amplitudo est.

§. 6. Ratione causæ efficientis, aliud *iudicium Ecclesiasticum* est, quod coram iudice Ecclesiastico de iisdem rebus peragitur; aliud *seculare*, quod coram iudice Laico de causa seculari exercetur. Inde alius *Judex Ecclesiasticus*, ut Papa haberi Romano vult, Archi. Episcopi sunt, Episcopi & Abbates; alius *secularis*, quò referuntur Imperator, Reges, Electores, Archiduces, Duces, Principes, Comites, Baronesque &c. Et omnes ij, quibus partes suas in iudicando Superiores demandant. Ex hisce fluit divisio iudicis in *superiorem & inferiorem*; vel *majorem & minorem*. Prior est, cui potestas summi regiminis cum Territorio & omnimodâ jurisdictione concessa, legitimeque acquisita, regulariter in omnes territorio inclusos, ordinario proprioque jure competit. Germ. vocatur die Landes Fürstliche oder hohe D. brigkeit. Vid. Webnerus (ee). Posterior, qui habet potestatem juris reddendi à superiore concessam. Solent n. superiores ob multitudinem negotiorum alios iudices quasi vicarios constituere. Ulterius, sicut *iudicium* aut *ordinarium* aut *extraordinarium* est: ita *Judex* vel *ordinarius*, qui aut suo jure, aut Superioris beneficio universalem exercere jurisdictionem potest: *extraordinarius*, qui vel ex commissione ordinarii, vel electione partium constituitur, & magis limitatam habet potestatem. Ut cæteras iudiciorum divisiones prætereamus brevitate studiosi. *Judex secularis, inferior, ordinarius* nobis in præsententi intuendus.

§. 7. Et ut evadat eò clariorres, addendum in super., *Judicis* vocem non rarò in strictiori significato usurpari, pro *Judice* pedaneo, qui non jurisdictionem, sed tantum iudicandi facultatem habet. Sæpius in sensu magis proprio sumitur pro ijs, qui certæ administrationi, cui & jurisdictio adhæret, præpositi sunt. Interdum in sensu generali accipitur, pro arbitro commissarioque, quibus vel libero partium consensu, vel iudi-

cis

as ordinario mandato, controversiæ determinandæ committū-
tur. Quamquam arbitri vox non parum discrepet à iudice, ,
quam differentiam ipse Eloquentiæ parens evolvit: (ff) aliud est (ff) Orat
judicium, aliud arbitrium. Ad iudicium hoc modo venimus, ut to- pro Q. Ro
tam litem aut obtineamus, aut amittamus; ad arbitrium hoc animo scio.
adim9, ut neq; nihil, neq; tantū, quantum postulavimus, consequamur.

CAPUT II.

DE PERSONA JUDICIS,

quæ jure admittatur, vel excludatur.

§. 1. Ipsi accedimus rei propius, animum intendentes
personis Judicum, quarum quædam inhabiles planè ad fungen-
dum ordinarij Judicis officio censentur, præpediti vel *naturâ*,
vel *lege*, vel *moribus*. *Naturæ* momentum respicit ætatem,
sensus externos, rationis qualitatem. Qui minor octodecim
annorum est, confirmati iudicij acrimoniâ vix pollet. Qui v. vi-
gesimum jamdum ætatis attigit annum, consensuq; civium
vel Principis beneficio eligitur à sententiâ ferendâ non prohibe-
tur. Nec facilè surdus, aut surdaster tantum, neq; mutus ad
hasce partes admittendus est, evidenti de ratione, cum iustitia
loquatur per iudicem, & potissima pars ipsius sit, querelas ad se
delatas exaudire, & justam sententiam pro re natâ pronunciare.
Furiosus perpetuò, per rationem impeditam ab hoc arcetur mu-
nere: Dico notanter *perpetuò*, quùm furiosorum nonnulli sunt,
qui furoris sui habet intervalla, & quos tempore remissi furoris,
nec lex nec ratio sana Judices esse prohibet.

§. 2. *Lege* prohibentur iudices esse infames. Non enim
amplius honoris patet porta iis, quorum vita vitiiis inquinata,
sceleribusq; majoribus contaminata. Aliqua tamen remanet
spes infamatos, qui succedente temporis cursu accusati sceleris
se absolvunt. Eâ gratiâ nec spurij omnes à dignitate
hâc arcendi, maximè si virtute inclaruerint, Cæsareâ po-
testate legitimati multumq; utilitatis bono publico pro-
mittant. Et si de mulieribus dicendum aliquid sit in doles ea-
rum imbecillisq; adeò natura probè examinanda, num par sit
partibus subeundis, ipsæq; tantâ iudicij excellentiâ valeant.
Aliud tamen fortean inferemus sentiemusq; si consuetudine
præceptum sit, vel iurisdictio jure hæreditario in mulierem, quæ
pro

(gg)
Tacit. in
Vita A-
gric.

pro lubitu vel ipsa decidere causas potest, vel per alios, devolvatur, ut fit in Regnis & Principatibus, sexum sequiorem pro Majestate venerantibus, sicut de Britannis asserit Tacitus (gg), & de Sueciâ id probat unio hæreditaria, Norcopiæ Anno 1604. ab ordinibus approbata, eorundemque decretum in Comitibus Stockolmiæ habitis, Anno 1627. Ultimò moribus denique arcentur Servi, quod tamen de servis nostris, utpote liberis hominibus, explosâ & sublatâ antiquâ servitute, non intelligendum putamus. Quò pertinent prodigi, quorum nulla voluntas est, & furiosis non injuriâ comparari possunt.

(hh) Exod.
18. v. 21
[ii]
2. Chron.
19. v. 16.

§. 3. E diametro jure partibus admovendi judicis sunt, justâ ætate vigentes, acrimoniâ judicii pollentes, virtutumque splendore fulgentes. Si quidem electio dicente, Philosopho: *ὁ κριὸς τῶν εἰσὶν δόξα τῆ ἀρετῆ καὶ μᾶλλον ἢ τὴν κριεῖν τῶν περὶ ζῶων.* i. e. *Virtuti maximè esse affinis & magis, quam actiones, mores ipsos judicare videtur.* In communi Judex justissimum revereatur Numen [hh] quia non hominis, sed DEI exercet judicium, (ii) & timor Domini inisium sit omnis sapientiæ, ideoque in DEI timore ferre sententiam debet, coram æterni Judicis tribunali rationem sibi tandem fore reddendam sciens. Pietatē excipiat virtus, quæ in omni ejus vitæ emicet actu, omnisque ita compositus sit, ut Theodorus Rex Judicem suum instruxit: *Esto innocentie templum, temperantie sacrarium, Ara justitie, & juxta Platonem: Judices pietate, honestate morumque, probitate sint imbuti.* Prudentiâ itaque instructus sit necessum est, nam homine imperito nunquam quicquam injustius est, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat. (kk) Prudentiam v. nulla alia ratione sibi comparare valet, ac literis & solida juris scientiâ. Hinc Baldus duos sales in mente Judicis requirit, sc. sapientiæ, qui est intellectus legum canonumque, ac conscientie. Ex alieno v. pectore sapere, nō minus miserum est ac infaustum, quū prudentis viri sit non alieno sed proprio niti consilio. Non excusandus propterea judex, si Jctos cōsulat, & malè pronunciatâ ab his sententiâ exsequatur, quam ex officio suo corrigere, aut mitigare debuisset. Et majori prudentiâ opus, si casus incidat, quem jura non definierint, omnia n. relinquuntur arbitrio Judicis.

(kk) Te-
rent. in A-
delph. act.
1. Scen. 3.

§. 4.

§. 4. Prudentiam concomitatur *justitia*, quam magnus
 Stagira alumnus Principem non modo & reginam virtutum, id-
 que in choro earum esse predicat, quod inter pulcherrimos illos,
 qui subterlabuntur coelo, ignes candidissima Hesperii Luciferique
 sidera sunt, sed absolutissimam omnium quoque laudat conge-
 riem. Hæc loquitur per judicem justum, hæc omnes moderatur
 actus judiciorum. Ceu igitur calidum oportet esse ignem ut
 urat: ita judicem oportet esse justitiâ imbutum, ut eam red-
 dere aliis queat. Non tamen ad rigorem usque extendenda, sed
 misericordiâ interdum temperanda. Non omnia peragit gra-
 vitas: quædam prudenti facilitate citius impetres. Quare u-
 troque hic opus est, quò terreas alios, alios verò soleris ac erigas,
 & meliore impleas spe. Severitas itaque adsit in judice, sed sine ri-
 gore: adsit gravitas, sed nulla austeritate corrupta, & in utraque
 multum & comitatis & humanitatis elucescat, non modò cum
 dignitatis posuit personâ, sed & cū sustinet maximè, ne ademptâ fi-
 duciâ ac spe horrorem metumque supplicibus incuriat. Cæteræ
 virtutes, quo majori elucescunt splendore, eò consummatiores
 Judicem reddunt.

§. 5. Nec minori Judicem muniunt autoritate
 fortunæ bona, opesque, idque præstant maximè, ut largitionibus,
 quæ jura flectunt facile, abstineat. Judices contra valde pau-
 peres propter egestatem venales fiunt (ll) sententiâque pretio vè-
 dunt, quo malo civitati nullum perniciosius, & illud efficit de-
 facili, ut ab aliis judices judicentur, (mm) eorumque arguantur,
 quorum judices ipsimet existunt, pœnamque tandem incurrunt,
 gravissimâ, Xenocrate quoque subridente, quod magni minores
 damnent fures. Eâ gratiâ justum corruptus judex expertus est
 judicium à Cambyse, qui hunc necari jussit, pellemque detractâ
 in lora concidi, quibus tribunal integeretur Otanis filij judicis,
 quo memor sit, in quo judicaret tribunali. Et Schach Abas Rex
 Persarum Kasi quendam [ita appellant judicem] Ispahanæ,
 quum acceptis muneribus controvertentes componere allabora-
 verit, asino imponi, vultu ad caudam, quam manibus tenuit ver-
 so, collum intestinis ovinis perforatis circumdari, ac ita in-
 foro circumduci jussit, præcone exclamante, omnibus jus ob-
 largitiones inflexuris idem eventurum. Quo factò Kasi tandem
 relegatus. Vid: *Clarissimus Olearius in der Persianischen Rei-
 sebe-*

(ll) *Aristo-
 tel. lib. 2*
 9. (mm)
Epietetus.

(nn) l. 5. e.
31. p. 649.
(oo) Col-
leg. polit.
exerc. 12.
qv. 10.

se beschreibung. (nn) Quāquā *Stebenshal* (oo) & hic distingvat inter muneratorem & ipsa munera, quorum quaedam dicuntur publica & ordinaria, quaedam extraordinaria & privatim data, quae vel singularis alicujus benivolentiae hospitalitatisq; causā, vel corruptelae & animi nundinandi ergo offeruntur: in his ergo iudex omnia regulā prudentiae metietur.

CAPUT III.

De Actu judiciali, ejusq;ve Objecto.

§. 1. Specialius jam delineanda boni Iudicis indoles est, maximè in actu iudicij constituti. Etsi enim commemoratae virtutes iudicem omni tempore locoq;ve exornare debeant, peculiare tamen actum respiciunt ipsum. Aditurus itaq; tribunal, sanam sobriamq; afferat mentē, ut, quae in iudiciū revocatur, ingenij acie excutere ritè valeat, nec absorptus à vino erret, impingatq; in sententiā, quod *Luth:* reddidit: (pp) *Sie töden das urtheil heraus.* Potissimum affectus exuat omnes, easq; deponat ingressurus iudicium, ne iustitiae obstant, & [edifferente (qq) *Seneca*] rem consilio cogitationeq; videre non sinant, sicut amantes, qui de formis iudicare nihil possunt, eò quod oculorum sensum amor premat. Sedeant itaq; iudices corpore animoq;ve, perturbationum immunes, ac imitentur imagines iustitiae Aegyptiorum & Thebanorum (rr), oculis non nimium ablandiendo, nec manibus munera capiendo; sacris potius insistant iussis [ss] *ne munera capias, & Justiniani* sequantur monitū, *ne minimum donum aut lucrum admittendum est in administrando.* (tt)

§. 2. In iudicio partem utramq;ve dissentientem benignè audiat, & exemplo Alexandri Magni, aurem alteram obturet, quo eam reo integram conservet; id, quod iuramentum fuit Heliastrarum Iudicium apud Athenienses (uu): *καὶ ἀρεγ-ἀσομαι ἴστε κατιγορῆ καὶ τῆ ἀπολογομένῃ ὁμοίως ἀμφεῖν.* utraq;ve partem affirmantem ex aequo audiam. Alioquin feliciter res non procedit secundum illud: *μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφεῖν μῦθον ἀκρίως.* Re probè perpensā, circumstantiisq; singulis evolutis, non ultrā modum protrahatur lis, sed iusta tandem sententia feratur. Ubi cavendum maximè est, ne sententia iudicis

(pp) *Esai.*
28. 7
(qq) *lib.*
8. *Epist.* 60.

(rr) *Theodor.* lib. 1,
(ss) *Deut.*
16. v. 19.
(tt) *novell.*
Constit. 17.

(uu) *Demosth.*

dicis præcipiteur, subitoq; sine iudicio decernatur. Ad pœ-
nitendum etenim properat, qui iudicat citò. (ww) In iudicando
criminosa celeritas est, & præcipitata voluntas noverca Justi-
tiæ.

(ww)
Senec. in
Proverb.

§. 3. Tota itaque latitudo judicialis actûs exhauriri po-
test primò *causarum cognitione*, post *sententiâ* & denique *judicati*
executione. Et ad ordinationem iudiciorum necessaria esse tria vi-
dentur: (1) *personæ*, quarum principales sunt *judex, actor & reus*.
Dein *materia circa quam* iudicia occupantur, ut *quæstio* sive cau-
sa controversiæq;ve, ac tandem *ordo s. processus*. Hisce tanquam
consequens accedit *præmiorum distributio pœnarumq; irrogatio*:
Duplex etenim iustitia est, *commutativa & distributiva*. (xx)
hinc quoque ad Iudicem pertinet, non tantum criminibus pœ-
nam definire, secundum proportionem Arithmeticam s. æquali-
ter, sed etiam de Rep. benè meritos viros mactare præmiis se-
cundum proportionem Geometricam (yy) Nihil n. magis devin-
cit Magistratûs Subditis, nec magis incitat homines ad virtuti
studendum, quam præmia. Quo nomine commendatur Se-
natûs M. Chami, sic Græci (zz) Alexander M. (a) & Romani suos
incenderunt ad fortia facta.

(xx) Arist.
5. Eth.

(yy) Lips.
5. Polit. c.
15. Bodin.
5. de Rep. c.
4. (zz)
Herodot.
lib. 9.

(a)
Just. lib. 11

(β)
Cic. Orat.
pro Cluët.

§. 4. Post iudicium iudici in definitâ sententiâ standum
firmiter est, nec semel iudicata rescindenda temerè, quin eò nitē-
dum potius, ut peragantur ritè. Frustra namq; sententia fer-
tur, nisi sequatur executio, ut *Ulpianus* inquit. Quæ dicta ha-
tenus in summam quasi contrahit *Cicero* (β) dicens: Est
sapientis iudicis, meminisse se hominem: cogitare sibi tantum,
esse permisum, quantum commissum creditum sit. Et non solum si-
bi soli potestatem esse datam, verum etiam fidem habitam esse memi-
nisse: posse, quem oderit, absolvere, quem non oderit, condemnare:
& semper non quæ velit ipse, sed quid lex religioq; cogitat, cogitare:
animadvertere, quâ lege citetur reus, de quo reo cognoscat, quæ res
in quæstione versetur. Cum hæc sunt videnda: tum illud est homi-
nis magni, iudicis atq; Sapientis: habere in consilio legem, fidem, re-
ligionem, æquitatem: libidinem a. invidiamq; metum, cupiditates
omnes amovere: maximi estimare conscientiam mentis suæ, quam à
Dijs immortalibus accepimus, quæ à nobis divelli non potest.

B 2

CAPUT

CAPUT IV.

De Judiciis essentiali ratione.

§. 1. Ex his omnib; dictis fuit talis Judicis descriptio: **JUDEX EST PERSONA à MAJESTATE CONSTITUTA PUBLICA, AD CAUSAS FORENSES SECUNDUM LEGEM ET APPROBATAM CONSUECUDINEM COGNOSCENDAS ET DIJUDICANDAS, AC JUSTITIAM OMNIBUS SUÆ JURISDICTIONI SUBJECTIS ADMINISTRANDAM.**

§. 2. Resolvitur Definitio (1) *in causam efficientem proximam* Judicis, quæ est *Majestas, s. quævis Respublica* judicem eligens. (2) *materiam circa quam, s. Objectum*, quod sunt *res forenses, s. causæ litigantiũ;* idq; vel *personale*, ubi *actor & reus*, vel *reale* ubi *causæ & lites* occurrunt, statuitur. Alia n. *judicia civilia* sunt, alia *criminalia*, alia *mixta*. (3) *In formã*, eò quod sit *persona publica* judicans secundum *legem seu consuetudinem* ad quod *juramento* plerumq; devincitur. (4) *In finem proximum*, qui est *litium diremtio justitiæq; administratio;* & *remotum*, qui est *publica honestas, utilitas & salus.*

CAPUT V.

DE SYNDICO.

§. 1. In benè constitutis Civitatibus præter alias personas quæ Senatũ conficiunt, *Syndicus* simul constituitur, qui est *persona auctoritate publicã cõstituta ad res Civitatis procurãdas.* Differt ab *actore*, eò quod ipse generalis sit procurator, datus ad omnes causas, tam præsetes, quã futuras, etiã criminales, hic v. ad speciales. Differt ab *administratoribus*, eò quod *Syndicus* detur ad lites, hi v. ad curandam pecuniam publicã. A *Curatoribus*, quod hi negotia Civitatum agant extra judicialia: à *servis publicis*, quod hi judiciis inserviant publicis: ab *Ecdicis*, quod hi causas tractent criminales, multasq; civitatibus debitas colligant. Ut ut istæ voces promiscuè accipiantur à nonnullis, discrimine tamen suo non destituuntur.

§. 2. *Syndicus* dicitur à nonnullis *Ἰνδὸ τῆς συνδίκου*, quæ vox *litem & causam communem* significat; & accipitur vox illa à *Græcis* vel pro consorte litis, cujus in *judicium communis* deducta res est: vel pro iis, qui à singulis urbibus mittuntur ad certam unius provincie causam tuendam vel agendam, & dicuntur *Syn-*

Syndici Civitatum: vel deniq; pro testibus secundum *Pindarum*.
Latinis accipitur Syndicus vel pro eo qui de causis officialium
aut Judicum cognoscit atq;ve judicat: vel qui à consilio ad revi-
dendam gestionis rationem eligitur, diciturq;ve Rationator. Nec
abhorret adeò à ratione, vocem originem trahere à Græco *ῥῶν*
& Lat. dico, qui qs. cū dicit in Senatu, & de rebus civitatis pro-
nūciat qvū publicas res mādato cōmuni, causas litesq; civitatis
in judicio persequitur. Constituitur a. vel lege, vel consuetu-
dine vel Magistratum ordine. Cæterorum in Senatu consti-
tutorum munia, ut Camerariorum, Scribarum Ministrorumq;
inferiorum, non verbis adeò delineanda, sed quotidiana rerum
Magistræ cōmittenda. De *Censoribus* v. ac *Curatoribus* suo tēpore
& loco, qvū tāta chartarum non capiat angustia *datā occasione*,
favente Numine acturi sumus.

QUESTIONES SELECTIORES.

I. An iudex debeat judicare secundum acta & probata, an v.
secundum conscientiam?

Communis multis sententia est, Judicē secundum acta judica-
re potio debere, non v. secundū conscientia. Hæc vestigia legunt
Pontificii pleriq; & omnes Canonistæ ac Legistæ. Sic sētīt Thomas de
Aquino (γ) Alexand. de Hales [δ] ea est mens Richardi (ε) Dominici
à Soto, Gregor. de Valentia, Toleti, Azorij cū quibus facit Heinr. Ju-
nior Dux Brunsvic. apud Dominū Hortleiderū. (ζ) Lessius (η) v. scri-
bit: *contraria nihilominus sententia videtur verior, n. judicem*
nullo modo posse talem innocentem ad mortem condemnare. Hunc
sequitur Nicol Lyranus, (θ) Adrianus (ι) Petr. Navarra (κ) aliiq;ve,
qvæis & nos suffragamur asserentes, judicē in causā certā potius
falsos confundere testes, vel si hoc fieri neq;vit, officium judicis
deponere, & ad Superiōrē deferre rem debere, nec n. simul testis
& iudex esse potest. Non n. discernere aliter potest, ac animus
sentit. Argumenta desumuntur [1] *ab interdicto divino* (λ) *in-*
fontem ac justum non occides (2) *à manifestā iniquitate* (3) *à certo*
peccati proprio iudicio (4), qvum iudex agat contra conscientiam,
[4] *à mendacii turpitudine* (5) *à jure naturali*, qvòd, ut secundum
rei veritatem judicetur, exigit. [6] *à fine probationum* (7) *commu-*
ni regulā, qvæ est: in re dubiā ea amplectanda opinio est, qvæ ani-

B 3

marum

(γ) 2.2. qv.
67. Art. 2.
(δ) 3. pag.
qv 40. M. 6.
art. 2.

(ε) art 3.
qv. 26.
(ζ) lib. 4.
de caus.
belli Germ.
c. 11. n. 7.
(η) lib. 2.
de 4. Virt.
Cardin. c.

29.
(θ) Exod.
in c. 23.
(ι) qvòd.
6. art. 3.
[κ] c. 3.
num. 161.
[λ] Exod
23. v. 2. &
7.

[μ] Reg. 3.
[v] Part. 3.
sect. 2. c. 5.
qvast. 4. p.
570. seqq.

marum salutis tutior. [8] ab exemplo Salomonis (μ) aliaque argu-
menta à quibusdam juris textibus, ab absurdo, & quæ adversa obji-
cere pars soleat, videantur fufius in *Phil. sobr. B. Meifn.* (v)

II. An judex usq; judicare debeat secundum leges?

Affirmativâ injungit vel ipsa muneris Judicis ratio, qui legis
Minister est, adeoq; nihil ex arbitrio facit, aut proposito dome-
sticæ voluntatis, sed juxta leges pronunciat: id quod ipsum sa-
cramentum, quod præstare assolent, eodem exigat jure; jurant ni-
se secundum leges judicaturos, ut *Xenophon* & *Demosth.* docent.
Leges v. sint sine dubitatione *plane*, & *honestati, pietati, atq; natu-
ræ conformes*. Aliàs recedendum à legislatore iniquo, & obtem-
perandum justissimo Numini. Alii æqvitatem justitiæ præfe-
runt: at locum æqvitas habet, quando jus vel obscurum vel nul-
lum est, ut consistit in commodâ interpretatione legis, & accõ-
modatione æqvâ ad circumstantias, quam præscribunt ipsæ leges.
Manifestè verò obrogare legi, Principis est Legislatoris, judi-
cis v. ministri legis, legem exsequi.

III. Num Judex condonare debeat maleficia?

[ξ] Deut.
13. v. 8. c. 17.
v. 12.

Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquenti, & multis alijs
peccandi fenestram aperit. Distingvenda tamen *scelera* sunt,
alia sunt *contra leges divinas*, quorum supplicium nemini Judex
remittere debet: [ξ] alia *contra leges humanas*, quæ interdum pro-
re natâ condonari possunt, & leges temperare Prætor potest. Pro-
inde Bias damnaturus aliquem illa crimavit: rogatus, quare id
faceret, *quia* inquit, *naturæ condolendum est, sed legi etiam suffra-
gandum.*

IV. An si damnatus ad mortem laqueo rupto in terram cadat, à
judice dimitti debeat?

Varia Politicorū judicia in decidenda hâc quæstione invenies,
quorum nonnulli purè simpliciterq; à pœnâ decidentem absol-
vunt. *Lucas de Penna, Arum.* aliiq;. Quidam simpliciter nul-
lâ habitâ circumstatiarum ratione vicissim illum laqueo ad judi-
cant. At unicâ distinctione confici res potest: Si legitimo mo-
do, justâ delicti inquisitione præmissâ, ad mortē fuit condemna-
tus, stat sententia aliàs communis & definitiva: *Das er soll mit
dem Strange von Leben zum tode gebracht werden*: Si verò opinio-
ne sal-

ne saltem, nec probationibus luce meridiana clarioribus damnatus fuerit, ulterius ut inquiratur, necessitas exigit, & vel ipsum delictum clarius, vel innocentia elucebit.

VI. An iudex furem, aut reum mortis, à supplicio absolvere debeat, quem puella in maritum sibi petit?

Ita in quibusdam provinciis inveterata obtinet consuetudo, ut sententia iudicis definitiva ad mortem condemnatos, mediante intercessione puellarum anxiam mortis faucibus eripere soleat. At [1] Reip. interest, maleficia non dimittere impunita [2] Porta patens aperitur sceleratis quodlibet perpetrandi, veniae spe & talis liberationis nixis [3] Solius Principis est, poenam remittere; Immo nec ille usque, si poena sit praestituta jure divino. (o) Quidam tamen habitam ratione vitae ante actae, causae offensionis, qualitatum item ceterarum personae, mitius iudici judicandum fore, existimant.

(o) Levit. 19. v. 15. Deut. 25. v. 10

VII. An Executores justitiae, Carnifices aliam dicti, infames habendi sint?

Certum equidem est, Carnificis munus ubivis ferè gentium sordidissimum putari [π] & tales vel ipsa natura humana, qui mortis etiam meritis exsequuntur supplicium, esse exosos. [ρ] Non tamen infames proin habendi sunt illi: (1) quia executores justitiae sunt; necessariū v. maxime in Rep. poenas in malos statuere, sine quo leges nullae penitus sunt. [2] quia populus Dei nobilissimis olim quoque, si testes capitalium criminum fuerint, has commiserit partes [3] quid? quod Angliae obtinuerit mos, ut extremum pietatis statuatur officium; si proximiores populi, fratres, immo ipsi Parentes Carnifices agant, facinorosisque de trabe humili gulam pendentibus frangant, (σ) Ut taceam Abyssinos, quos de Alvarez Corfaliusque, ac Persas, qui promiscue prore nata ipsi talia exsequuntur vid. Olear. (1) Rationes v. cur adeo habeantur male, allegat Siebenhal (v) ex zepp. (φ) adjudicans id quod opinionioni Papistarum quemlibet occisorum ignominiae maculam notanti, quod pessimis carnificum primordiis, quod scelerate ut plurimum ad hunc usque diem vivat. Maximum itaque maculae momentum ponendum non in justitiae ministris, sed concomitantibus male vivendi & sordidissima quoque, peragendi adjunctis. Ipsi itaque, (X) non ipsos, officium hoc commaculant.

(π) Keck. discurs. Phil. 32. q. 6. (σ) Bodin. in lib. 3. de Rep. c. 8. (σ) Bodin. l. c. (1) in der Persische Reise Beschreibung (v) Polit. Exerc. 12. quast. 13. (φ) lib. d. ll. Mosaic. c. 7. (X) Keck. l. c.

TANTUM!

Ad Literatissimum Dn. Respondentem.

Laudatur doctam semel ascendisse cathedram,
Et respondentis sustinuisse vices.

At Tu, GERLACHI, repetis nunc sapius illas;
Hinc etiam major laus Tibi jure datur.

f
Christophorus Mottnagel / P.P.
h.t. Coll.Phil.Decanus.

Ipsè Senator adest, Consul, jurisq; peritus
Judex, & quavis Syndicus arte bonus.

Hæc tua, Gerlachi, quum nobis publicus offers,
Exponit magnâ dexteritate thesis.

Det DEUS, ut verbum tue are viriliter istud,
Pagina quod præsens sistit, amice mihi!

Michael Wendelerus
D. & P.P.

Patres, Gerlachi suavissime, sistis in Urbe,
Illorumq; decus, munia, jura refers:

Sint Patriæ Patres faciles insignibus orsis,
Ac foveant dotes usq; favore Tuas!

*Ita prolixiori affectu suo
povebat Gerlachio.*

PRÆSES.

Nescit in ingenuis Virtus residere medullis,
In planum largo flumine larga fluit.

GERLACHI, tali [benè novimus] indole gaudes
A teneris, spreto pulvere, celsa petis.

Laudo. Castalides meditantur præmia, multos
Queis virtus calidis vexit ad astra rotis.

M.ELIAS CONRADI, Dresd.
S.S.Theol.Stud.



ULB Halle


3

006 681 980



WMA





B.I.G.

Farbkarte #13



35

Politicarum

CIVITATIS,

CE,

CO,

REA,
LUMINE,

FRIDERI-
ELIO,

vitore ac Amico

αλέξει discutiendam

GERLACHIUS,

dens.

1661.

io Philosoph.

NIS HAKEN.

XI.

ZV HALLIE

